

ex Palatinorum Sociorum munere, quod lubenti
animo sisto; perpetuum namque in eo nobilium
filiorum amoris pignus contemplabitur, & quale
à parentis institutione fuerat expectandum; ex-
quisita scilicet literarum studia, quibus tanta in
banc usque diem nostratibus, exterisque historia-
rum copia parata est, ut gaudio quandoque fue-
rit non interitura Palatinorum memoria. Quod
si ab utilitate, à diuturno labore, atque ab ele-
gantia habeatur operis estimatio, non indignum
amplissima Civitate, cultisque in omni scientia-
rum genere Civibus & donum hocce reputabitur;
numeris enim omnibus respondet Mediolanensis
disciplinæ genio, cui nil nisi solidum & robustum,
& nisi cum ingenua simplicitate venustas proba-
tur: quamobrem in publicam laudem hæc esse
cessura nemo negaverit, nisi qui pretium solidio-
ribus studiis ademerit, & more pecudum sola re-
rum præsentia, cœcoque impetu actus, præterita-
rum recordationem fastidiverit. Neque deerit in
commune Italorum, aliarumque gentium com-
modo ex libris nostris, & privatum EXCELLEN-
TISSIMÆ URBIS totiusque Insubriæ; multa
enim vetusta Regionis hujus monumenta collegi-
mus, quæ hactenus in tenebris, peritura fortasse,
delituerant. Hæc inter Petri Azarii Chronicon,
quod in hoc Tomo continetur, Scriptoris pro infe-
licitate sæculi sui præstantissimi, qui res à Vice-
comitibus Principibus aliquot gestas fide sincera
memoriæ tradidit, ac ignoti Auctoris Mediola-
nenses Annales, hactenus inediti, qui Aza-
rium